

phiæ principia meritò numeratur.

18. Patet cur initio Physicæ non tantum rerum corporearum existentiam, verum etiam leges & regulas motuum è divinarum perfectionum contemplatione deducat P. II. I. 36 seqq.

19. Patet cur in tota sua Philosophia subinde Dei potentiam, bonitatem, sapientiam aliasque perfectiones laudet, ut Med. sexta pag. 45. P. I. 24. 76. III. I. seqq. 20. 29. 40. 43. seqq. IV. 204. seqq. & aliis locis plurimis, respice art. secundum.

20. Patet quomodo verè possit demonstrari id quod sibi Scaliger demonstrandum sumit Exerc. 6. sect. 3. *Primus Philosophus non accipit à Naturali, Deum esse.*

EXERCITATIO III.

Quæ ex propriæ mentis contemplatione desumuntur argumenta, optimè nos ducunt ad Deum cognoscendum.

I. **Q**ui præceptis Logicis non nihil est imbutus, is novit eò meliores, hoc est, clariores & certiores esse demonstrationes, quod ex paucioribus & notioribus & magis immediatis atque homogeneis constant præmissis.

2. Nam